

DE IMPEDIMENT. MATRIM. & UNDE ORIAN. 573

neꝝ, quæ scilicet non sit ex descendantibus in Filium vel Filiam nepotem vel neptem legitima assumptio, si persona, quæ assumitur, sit sui juris, & autoritate principis in potestatem & familiam adoptantis transferit, est adoptio perfecta, & appellatur arrogatio, quæ sola juxta plures cognationem legalem matrimonium irritantem inducit, si vero persona adhuc sub patriâ potestate existens autoritate inferioris Magistratū assumatur, est adoptio imperfecta, cognationem legalem matrimonium irritantem juxta eosdem non inducens. Hæc cognatio primitus à legibus Civilibus est inventa, ideoque nomen cognationis legalis contraxit, deinde per sacros Canones recepta & impedimentum dirimens matrimonii est facta. Quod impedimentum in linea transversa cessat dissolutâ adoptione, dicit enim Nicolaus P. in cap. un. de cognat. leg. lib. 4. tit. 1. 2. *Si quæ per adoptionem mihi Soror esse cœperit, quamdiu durat adoptio, inter me & ipsam nup- tia confitere non possunt.*

DISPUTATIO L.

*De Ultimis impedimentis Matrimonii.*

Q U A E S T I O I.

*De Crimine & disparitate Cultus?*

DICO I. *Homicidium & adulterium in aliquo casu impediunt matrimonium contrahendum & dirimunt contractum.* S. Th. in suppl. Q. 60. a. 2. ad I.

*Explicatur Conclusio:* Impedimentum criminis est scelerata conspiratio, quâ conjux adhuc vivente suâ comparte cum tertiâ personâ de matrimonio ineundo cum criminis aliquo conspirat, ob quam nefariam conspirationem Ecclesia conspirantes ad matrimonium invicem contrahendum inhabiles reddit, ut hoc modo afferendo à delinquentibus spem matrimonii inter

se contrahendi illos à crimine deterreret, crimen hoc est quadruplex

Primò quando unus conjugum cum alio conspirat in mortem compartis ex hâc intentione, ut comparte peremptâ matrimonium invicem contrahant, tunc effe&tu secuto: hoc est: comparte occisâ: est impedimentum dirimens matrimonium inter illos homicidas conspirantes contrahendum, deficiente unâ conditione hic expressâ v. g. conspiracyis vel intentionis &c. non est impedimentum dirimens. Unde ut secluso adulterio ob solum conjugidum matrimonium dirimatur, debet vir & fœmina concurrere ad innocentis conjugis occisionem sive per se sive per alium sive physicè sive moraliter consulendo, laudando, approbando, igitur si vir solus occidat ex intentione aliam mulierem ducendi, quæ postea illam occisionem approbat, non est hoc impedimentum; cum mulier illa nec physica nec moralis causa sit occisionis. Deinde debet hanc conspiracyem comitari intentio ducendi, si igitur ob aliam causam occiderint, sed post mortem priùs voluntatem contrahendi matrimonii habuerint, etiam cessat hoc impedimentum. Denique debet mors ex tali machinatione & non ex alio accidenti v. g. imperitiâ medici, negligentia inservientium esse subsecuta.

Secundò quando unus conjugum commisso adulterio occidit partem ex intentione pervenienti ad matrimonium cum adultero vel adulterâ, est impedimentum dirimens matrimonium conjugis occidentis partem cum complice adulterii, debet autem adulterium ante occisionem actualem conjugis v. g. ante propinacionem veneni, inflictionem lethalis vulneris, esse commissum, ut ita cædi præbeat causam; unde si vir præbeat uxori venenum, ut Ancillam non simul ad mortem ex hâc intentione concurrentem ducat, sed antequam uxor moriatur ex veneno, committat cum eâ dema

dem Ancillâ adulterium, non est impedimentum criminis, sicut neque, si non ex ipsâ machinatione sed aliunde mors sequatur ut si mandatum de occidendo sit revocatum, & mandatarius hoc sciens nihilominus occidat.

Tertiò quando conjux adulter sive ante sive post commissum adulterium promittit & fidem dat de matrimonio post mortem conjugis contrahendo cum complice adulterii, est inter utrumque adulterum impedimentum dirimens, nempe ne ob promissionem factam matrimonii & acceptata adulteri captent occasionem machinandi mortem alterius conjugis. Ad quod impedimentum incurendum præter adulterium formale & materiale per copulam perfectam ad generationem naturalem sufficientem consummatum requiritur promissio seria & absoluta, aut per eventum conditionis purificata stante legitimo matrimonio facta & à complice adulterii acceptata, etiam sine reciprocâ repromotione, quæ cum adulterio sub eodem matrimonio concurreat, sive sequatur, sive præcedat ipsum adulterium; quia in cap. significasti 6. de eo qui duxit in matri. &c. lib. 4. tit. 7. indefinite dicit Innoe III. de illo, qui vivente primâ conjugie meretici adhæsit; Nisi alter eorum in mortem uxoris defundet & fuerit machinatus, vel eâ vivente sibi fidem dederit de matrimonio contrahendo, legitimum judices matrimonium supra dictum & expressius Greg. IX. in cap. fin. eod. tit. Si quis uxore vivente fide dat à promisit aliam se adulterum, vel cum eâ de facto contraxit, si nec ante nec post (legitimâ ejus superstite) cognovit eandem; quamvis utrique ipsorum pro eo, quod in hoc graviter deliquerint, sit pœnitentia injungenda: non est tamen matrimonium, quod cum ea contraxit, post uxoris obitum dirimentum (videlicet si de novo post obitum uxoris legitimæ in illud consenserit) ceterum tolerari III. Partis Theol. Schol. suppl. Oo non

*non debet, si prius vel postea, dum vixerit uxor ipsius, illam adulterio polluisse. Ex quo textu*

*Quartum crimen est, quando conjux adultera commisso adulterio insuper contrahere attentat cum adultero matrimonium de praesenti, tunc statim nascitur inter eos impedimentum dirimens, ut deinde etiam mortua uxore adulteri & marito adulterae matrimonium contrahere validè nequeant.*

*Q. 1. An infideles adulteri vel conjugicidæ hoc impedimentum contrahant, ut post conversionem matrimonium cum complicibus inire non possint?*

*R. Cum hoc impedimentum sit juris Ecclesiastici, si utraque pars sit infidelis, hoc impedimentum non contrahitur: infideles enim Ecclesiasticæ potestati non subsunt. Si verò complex sit fidelis, & altera pars infidelis, etiam post conversionem ad fidem, inter eos matrimonium non est validum ob contractum à fidei impedimentum criminis, qui est casus cap. laudabilem I. de convers. infid. lib. 3. tit. 33.*

*Q. 2. An ad incurrendum impedimentum criminis requiratur cognitio, quod his criminibus inhabilitas ad matrimonium sit annexa?*

*R. Negative: quia impedimenta dirimentia sunt inhabilitates quædam à jure Canonico ob bonum commune introductæ, quas proinde etiam invincibiliter ignorantes incurunt, nec est ratio, quare exigitur notitia, cum non sint pœnæ medicinales, quæ ad sui incursionem exigunt in delinquente non tantum notitiam de prohibitione actûs, sed etiam de annexione pœnæ.*

*Q. 3. Qualiter obtainenda hujus impedimenti dispensatio?*

*R. Petens hujus impedimenti dispensationem, quam sine dubio Ecclesia concedere potest, debet exprimere, an sit impedimentum criminis ex conjugicidio*

cidio, an ex solo adulterio cum promissione matrimonii: in priore enim, si publicum sit, summus Pontifex non solet dispensare, ne conjuges habentes spem dispensationis obtinendæ ansam arripiant machinandi invicem mortem. Si sit occultum, dispensat quidem sacra Pœnitentiaria duntaxat pro foro conscientiæ, sed difficulter & non nisi impositâ gravi Pœnitentiâ.

DICO 2. *Disparitas cultus præcedens matrimonium impedit, ne contrahi possit. S. Th. in suppl. Q. 59. 2. 1. O.*

*Explicatur & probatur Conclusio:* Quoad impedimenta matrimonii eadem est vis juris non scripti sive consuetudinarii & scripti; atqui ex jure consuetudinario post fidem sufficienter propagatam & infidelitatem profligatam magis ac magis invalescente introductum est, quod cultus disparitas, quæ est inter Baptizatum & non Baptizatum matrimonium dirimat; ergo cultus disparitas, si matrimonium præcedat, illud dirimit, ut nequidem per conversionem ad fidem convalescat, nisi novus ab utrâque parte ponatur consensus. Licet autem jure naturali & divino regulariter talia matrimonia sint illicita ob periculum perversio[n]is in conjuge fideli, quod ex mutuo amore arctissimâque familiaritate oritur, ut pater in Salomone, cuius cor depravatum est per mulieres, ut sequeretur Deos alienos. Etiam ob difficultatem educandi prolem in verâ fide, unde Apostolus præcipit 2. Cor. 6. v. 14. *Nolite jugum ducere cum infidelibus*, attamen nonnisi jure Ecclesiastico talia matrimonia invalida sunt. Unde Ecclesia in hoc impedimento potest dispensare, & ob ingentia bona, quæ ex tali matrimonio sperantur, licet dispensatur, si absit periculum proversionis & malæ educationis prolium.

Quoad matrimonia inter Catholicos & hæreticas contracta certum est, quod sint valida, ut videtur

supponi in cap. decrevit 14. de hæret. in 6. lib. 5. tit.  
**2.** cum nihil obstet valori talium matrimoniorum , attamen propter adjunctum periculum perversionis & malæ educationis liberorum , quod communiter , maximè si conjux Catholicæ fidei præmoriatur , subest , talia matrimonia regulariter sicut illicita : *Dixi* regulariter : quia si tale periculum absit , & aliquod bonum vel publicum vel privatum v. g. conversionis in parte hæreticâ speratur , licita fierent saltem accedente summi Pontificis licentiâ.

## QUÆSTIO II.

*De vi & ordine?*

**D**Uplex est vis , quæ infertur ad obtinendum consensum matrimonialem : altera moralis , quæ per gravis mali comminationem vel actualem inflictionem infertur , altera physica , quando vi rapitur fœmina vel vir in ordine ad contrahendum matrimonium.

**DICO I.** *Talis coactio metus , qua cadit in constantem virum , tollit matrimonium & non alia.* S. Th. in suppl. Q. 47. a. 3. O.

**Probatur :** Ex cap. cum locum 14. de sponsal. lib. 4. tit. 1. in quo Alexander III. *Cum locum non habeat consensus , ubi metus vel coactio intervenit , necesse est , ut ubi assensus cuiusque requiritur , coactionis materia repellatur , matrimonium autem solo consensu contrahitur , & ubi de ipso queritur , plenâ debet securitate ille gaudere , cuius est animus indagandus , ne per timorem dicat sibi placere , quod odit , & sequatur exitus , qui de invitis solet nuptiis provenire.* Ex quibus verbis licet aliqui inferant matrimonium ex metu gravi contractum esse irritum de jure naturæ , ed , quod metus dicatur tollere consensum ; attamen quia ea , quæ aguntur ex metu , sunt simpliciter voluntaria , licet sint involuntaria secundum quid , metus ex solo jure

Eccle-

Ecclesiastico matrimonium dirimit, textusque allegatus intelligi debet, quod talis consensus, qualem ad matrimonium validè contrahendum Ecclesia requirit, non habeat locum, si metus interveniat, neque omnis metus matrimonium irritat, *cum inter vim & vim sit differentia*, ut inquit Alex. III. in cap. de muliere 6. de sponsal. hinc ut metus dirimat matrimonium, has requirit conditiones: debet esse metus gravis injustè in-  
cussus ad extorquendum consensum matrimonii.

Primò debet esse metus gravis ità cap. veniens 15. cap. consultationi 28. de sponsal. cap. significavit 2. de eo, qui dux. in matr. &c. est autem metus gravis, quando timetur grave malum inferendum aut ipsi me-  
tuenti, aut personæ valdè conjunctæ: ut Patri, Ma-  
tri, Uxori, Liberis, Fratribus &c. grave autem ma-  
lum considerari potest vel absolutè respectu cuiuslibet,  
quod nempe omnes homines habere solent pro gravi  
malo, & dicitur timor hujus mali absolutè cadens in  
constantem virum, qualis est metus mortis, mutila-  
tionis, servitutis, exilii, carceris &c. vel potest  
malum considerari respectivè ad certas personas, mi-  
nus enim malum sufficit ad metum gravem in fœminâ,  
quam viro, metus igitur gravis sive absolutè sive re-  
spectivè irritat matrimonium juxta cap. cum locum cit.  
de sponsal. econtra tamen si metus est simpliciter levis,  
aut metus purè reverentialis, ex quo nempe juvenis  
vel puella consentit in matrimonium v. g. propositum  
à parentibus tantum ideo, quia timent, ne recusando  
agant contra reverentiam debitam parentibus, non di-  
rimit matrimonium. Cujus Ratio est: quia cum me-  
tus levis sit in potestate contrahentium, ideoque illum  
facile contrahens repellere possit, si non repellat, satis  
liberè & perfectè ac sine coactione in matrimonium  
consentit. *Dixi:* Purè reverentialis: quia quando  
imperio parentum conjunctæ sunt minæ, quas paren-

tes solent exequi , vel addatur mala tractatio prolis , aut timeatur gravis & diuturna indignatio Patris vel alterius personæ , à quâ multum dependet fortuna v. g. Filiæ , & generaliter quandocunque præter metum , ne agatur contrà reverentiam debitam , timetur aliquod aliud grave malum vel incommodeum , quod solent personæ similis conditionis graviter apprehendere , est metus gravis officiens valori matrimonii .

Secundò debet esse injustè incussus : nempe à tali qui nullam habet potestatem metum incutiendi ; secus si metus justè incuteretur aut à judice præcipiente sub pœnâ excommunicationis vel pœnâ capitis stupratori ducere defloratam : ut patet ex cap. ex litteris 10. de sponsal. in quo injungitur Episcopo ut injustè & contrà suum Juramentum resilientem à sponsalibus moneat , & si non acquieverit monitis , Ecclesiasticâ censurâ compellat ad contrahendum matrimonium . Idem est si parentes non quidem privatam vindictam sed accusacionem justam comminentur corruptori Filiæ & debitas pœnas viâ juris exigendas , nisi Filiam ducat , aut si privatus deneget aliquod obsequium charitatis , ad quod ex justitiâ non obligatur v. g. Medicus periculosè ægrotantem non vult juvare , nisi promittat ducere suam Filiam : quia nec tunc metus injustè incutitur : cum ex justitiâ , ut supponitur , non sit obligatus Medicus mederi in firmo .

Tertiò debet esse incussus ad extorquendum consensum matrimonii sive cum certâ personâ sive etiam indefinite ad ducendam unam v. g. ex filiabus Titii , imò si Pater dicar absolute Filiæ : te exhæredabo , nisi nupleris , metus irritat matrimonium , quia status matrimonialis debet esse absolute homini liber , adeoque etiam ille metus officit valori matrimonii , quo quis cogitur iniquè ad matrimonium generatim seu non determinando personam in particulari , aliud est si

injustè

injustè metus quidem incutiatuſ , non tamen ad extorquendum Matrimonium vel à cauſa naturali aut, ut alii dicunt, ab intrinſeco, ut ſi quis in periculo mortis timens d'arnari vellet ducere concubinam , vel à cauſa libera aut, ut alii dicunt, ab extrinſeco, ut ſi quis injuſtè incarcerated vel aliam injuriā patiens ſpontē eligat Matrimonium tanquam medium ad ſui liberationem ; validum erit Matrimoniuſ . Cujuſ ratio deſumitur inde : quod talis metus , licet injuſtè incuſſus , non ſit per ſe cauſa Matrimonii , ſed merè per accidens eſt occaſio tantum , quatenus occaſione talis metuſ injuriā patiens , ad ſe liberandum , ipſemet tale remedium Matrimoniuſ eligit.

His conditionibus affectuſ metuſ ſi interveniat , Ecclesia congruenter Matrimonium irritum facit , tum quia metu tribuſ bonis Matrimonii videlicet bono Sacramenti proliſ & fidei adverſatur , non quod abſolutē ſtante metu obtineri non poſſint , ſed quod diſſiciliuſ & non conveñienter obtingantur : adverſatur enim bono Sacramenti : in quaſtum non ſpontē contractum Matrimonium non aptē repræſentat ſpontaneam coniunctionem Christi cum Ecclesia , proliſ : in quaſtum non facile proles ſperanda eſt ex tali Matrimonio , in quo conjuſx conjugem abhorret , fidei : quia Matrimonia coacta diſſiciles ſolent habere exituſ . Tum quia diſſerentia eſt inter Matrimonium & alios contractuſ , quod illi ſi ex metu injuſtè incuſſo ſint facti , etiā ſint validi , poſſunt ta‐men per exceptionem vel ſententiam Judicis reſcindi , & metu paſſuſ poſteſt reſtitui in integrum , at verò Matrimonium mutuo conſenſu ſemel valide contractum , & maximè poſtquam eſt conſummatum , reſcindi nunquam poſteſt , ideo neceſſe fuſt & quaſi ratio naturaliſ exigebat , ob gravissima in-

commoda, quæ ex hujusmodi coactis Matrimonii sequi solent, ut Ecclesia constitutione Juris statim à principio vim vel metum faceret impedimentum dirimens Matrimonii, cum postea non sit locus remedii.

DICO 2. Decernit sancta synodus, inter raptorem & raptam, quamdiu ipsa in potestate raptoris manferit, nullum posse consistere Matrimonium Con. Trid. Sess. 24. de reform. Matt. cap. 9. ubi prosequitur: quod si raptæ à raptore separata & in loco tuto & libero constituta illum in virum habere consenserit, eam raptor in uxorem habeat, & nihilominus raptor ipse, ac omnes illi consilium, auxilium & favorem praben-tes sint ipso jure excommunicati, ac perpetuo infames, omniumque dignitatum incapaces, & si clerici fuerint, de proprio gradu decidant, teneatur præterea raptor mulierem raptam sive eam uxorem duxerit sive non duxerit, decenter arbitrio judicis dosare hucusque Trid. loc. cit.

Ex quibus hoc impedimentum, quod olim in Ecclesia vigens, ut probant textus Can. de puellis 4. & Can. placuit 11. caus. XXXVI. Q. 2. sed postea abolidum est, ut constat ex cap. cum causam 6. & cap. accedens 7. de raptor. &c. lib. 5. tit. 17. à Con. Trid. reintroductum describitur: violenta abducio puellæ ex potestate parentum vel quasi parentum ad alium locum Matrimonii contrahendi causa.

Dicitur 1. Violenta abducio: quia debuit intercessisse violentia sive physica per vim sive moralis per graves minas illata; ideoque si insciis parentibus vel tutoribus puella volens & consentiens abduca-tur, ita, ut nec violentia puellæ, nec ejusdem pa-rentibus aut tutoribus sit illata, quamvis illis, sub quorum tutelâ est puella, aliqua injuria inferatur, non est raptus: quia raptus, ut rapina, violentiam

indicat

DE ULTIMIS IMPEDIMENTIS MATRIMONII. 583

indicat, immo ut hoc impedimentum incurritur debet violentia esse illata ipsi puellæ abductæ, ita ut si raptor puellam consentientem ad abeundum cum violentiâ parentibus vel tutoribus illatâ ex domo paterna v. g. abducatur, etsi adhuc in jure nominetur raptor, non tamen incurrit hoc impedimentum. *Ratio est:* quia praeterquam quod odia sint restringenda, decretum Concilii Tridentini non attenit, nisi ad libertatem Matrimonii; haec autem nullo modo leditur, quando puella liberrimè consentit in abductionem, esto reclament parentes etiam violentiam passi, non enim libertas Matrimonii in filia, quam unicam intendit Tridentinum hoc impedimentum inducens, ullo modo dependet à voluntate parentum. *Dicitur 2.* Abductio puellæ: Concilium enim loquitur solum de raptu fœminatum, ideoque hoc impedimentum plures extenderentolunt ad raptum viri, nempe si fœmina virum rapiat Matrimonii causa, Matrimonium subsecutum cum raptrice validum esse volunt, quia Concil. expressè loquitur de raptoribus & non de raptricibus, nec solent leges statui de casibus rarioribus, quod autem mulier rapiat virum ad contrahendum Matrimonium rarum est. Opposita vero sententia fundatur in hac ratione: licet loquatur Concilium expressè de raptu fœminarum tanquam frequentiore, attamen per hoc non excludit raptum virorum, si talis contingat, igitur cum propter relationem, quam dicunt vir & mulier ad invicem, dispositum de viro etiam censeatur dispositum de fœmina, ut patet in criminis adulterii & conjugidii: videtur etiam impedimentum raptus extendi ad fœminas rapientes viros. *Dicitur 3.* Ad contrahendum Matrimonium: nam si violenter abducatur fœmina solum ad explendam libidinem, sine ordine ad Matri-

monium, et si revera adhuc sit raptus quoad culpam non tamen juxta multorum sensum est impedimentum dirimens Matrimonium. *Ratio est*: tum quod impedimenta Matrimonii velud odiosa, in dubio sunt restringenda; tum quia Concilium eo decreto nihil intendit, nisi libertati Matrimonii consulere; ergo agit de solo raptu & violenta abductione puellæ ad contrahendum Matrimonium.

DICO 3. Quod ordo sacer... impedit Matrimonium ex constitutione Ecclesia habet S. Th. in suppl. Q. 53. A. 3. O. Ita definitum est à Trid. Sess. 24. Can. 9. ex quo ulterius

*Probatur*: eodem Jure Matrimonium à sacro ordine impeditur non tantum ne licet, sed etiam ne validè iniri possit, quo Jure sacris ordinibus est annexus cælibatus, sed cælibatus annexus est sacris ordinibus Jure ecclesiastico, cum etiam sacerdotio non repugnet Matrimonium, nec ullum Juris divini in lege novâ præceptum detur, per quod eidem annectatur cælibatus, ergo irritatio provenit ex lege ecclesiastica irritante vel immediate, si quis in Ecclesia latina susciperet ordinem sacrum & expressè non vellet vovere aut se obligare ad castitatem, talis enim validè ordinaretur & impedimentum dirimens Matrimonium contraheret, & tamen nullum votum nec ex - nec implicitè emitteret: cum votum cum animo expresso non vovendi subsistere nequeat. Talis igitur secluso voto obligaretur vi ordinis ex lege ecclesiasticâ ad cælibatum & inhabilitaretur ad validè contrahendum Matrimonium. *Quod si verò secundum ritum Ecclesiæ latinæ ordinem sacrum suscipit, vis irritandi Matrimonium est annexa voto solemnij juxta cap. un. de de voto & vot. redempt. in 6. in quo declarat Bonif. VIII illud votum debere dici solenne, quantum ad post contractum Matrimoniū.*

DE ULTIMIS IMPEDIMENTIS MATRIMONII. 585  
nim dirimendum, quod solemnizatum fuerit per sus-  
ceptionem sacri ordinis, Videantur dicta Disput.  
XLIII. Q. 2.

Obj. Ecclesia irritans Matrimonia clericorum  
contrariatur Apostolo 1. Timot. 3. dicenti, Episcopum  
debere esse unius uxoris virum & cap. 4. annume-  
ranti Spiritum prohibentium nubere Spiritibus er-  
roris; etiam adversatur exemplo Apostolorum, quo-  
rum clerici sunt successores & debent esse imitato-  
res, dicit Apostolis enim, quod habuerint uxores, in-  
sinuat textus 1. Cor. 9. nunquid non habemus potesta-  
tem mulierem sororem circumducendi sicut & ceteri  
Apostoli.

R. ad 1. Quod verbis illis nequaquam voluerit  
Apostolus, ut Episcopus esset uxoratus, sed tantum  
ut esset monogamus, non verò bigamus, ut sensus  
sit; ad episcopatum non esse promovendum illum,  
qui pluribus Matrimonio junctus fuit.

Ad 2. Ecclesia non damnat nuptias tanquam per  
se malas, qualiter Hæretici ab Apostolo prænuntiati  
illas velut inventum Diaboli damnarunt, sed tan-  
tum supposito, quod aliquis liberè suscepit  
sacros ordines, eidein interdicit & impossibile redi-  
dit Matrimonium, ut liberiùs & cum majore puri-  
tate ministerium sacrum obeat. Ità plura supposita  
certâ qualitate fiunt illicita, quæ absolute & secun-  
dum se licita sunt.

Ad 3. Falsum est Apostolos post apostolatum sus-  
ceptum uxoribus, si quas habuissent, adhæsisse,  
sed de solo S. Petro constat uxoratuim fuisse, ipsum  
verò simul cum aliis rebus uxorem reliquise colligi-  
gitur ex cap. 19. Matth. in quo illis verbis S. Petri:  
ecce nos reliquimus omnia subiunxit Christus: omnis  
qui reliquerit domum, vel fratres, aut sorores, aut  
patrem aut matrem aut uxorem &c. S. Paulus loc.  
cit.

cit, non loquitur de uxoribus, sed de piis mulieribus, quæ quorundam Apostolorum erant comites in munere prædicandi, ut ipsis vitæ necessaria ministarent, sicut & Luc. 8, Christum aliquæ mulieres sequebantur, quæ ministrabant ei de facultatibus suis.

## QUÆSTIO III.

*De ligamine & honestate.*

**DICO I.** *Qui uni matrimonio junctus est, non potest alteri conjungi & sic est ligamen matrimonii*  
S. Th. in suppl. Q. 50. A. 1. O.

Probatur ex iis, quæ suprà tum de unitate, tum de indissolubilitate matrimonii dicta sunt: cum enim matrimonium ex natura rei sit conjunctio unius cum unâ indissolubilis, quamdiu quis matrimonialiter est conjunctus uni, nequit conjungi alteri; verum dissoluto matrimonio primo non tantum valide sed etiam per se loquendo licet non tantum secundum sed & tertium matrimonium iniri potest etiam intrà annum luctûs.

Non obstat prohibitio juris Civilis, ex quo vidua intrà annum luctûs ad secundas nuptias transiens fit infamis, fit incapax cuiuslibet hæreditatis, legati, fideicommissi aliorumque per ultimam voluntatem relictorum, nemini ab intestato ultrà tertium gradum sucedere potest, privatur omnibus à priore viro relictis tam quoad proprietatem. quam quoad usumfructum. Non potest ultrà tertiam partem bonorum in secundum maritum titulo lucrativo transferre etiam non existentibus ex priore matrimonio Liberis. Prout hæc disponuntur in L. 1. & 2. C de secund. nupt. lib. 5. tit. 9. has enim penas & prohibitionem sustulit Jus Canonicum Cap. 4. & 5. de secund. nupt. Lib. 4. tit. 21. In quibus Capitulis, licet expressa mentio fiat

de sola infamia , attamen ob libertatem matrimonii omnes pœnæ enumeratæ sunt sublatæ ; beneficia tamen & favores prioris matrimonii Liberis attributos in casu secundi matrimonii Jus Canonicum non sustulit ; hinc mulier ad secunda vota transiens amittit proprietatem omnium bonorum , quæ liberaliter à Conjugé defuncto acquisivit L. fœminæ 3. C. de secund. nupt. non potest secundo marito plus in dotem dare vel alio titulo relinquere , quam dederit uni ex filiis prioris matrimonii L. hâc edictali 6. L. cum apertissimè 10. eod. tit. amittit Liberorum tutelam , cum aliâs defuncto parente eorum sit tutrix , auth. Sacramentum. Cod. quando mulier tut. off. fungi potest Lib. 5. tit. 35. imò etiam proles aliâs apud matrem viduam educandæ contractis secundis nuptiis alibi pro educatione collocari possunt. L. 1. Cod. ubi pupilli educ. deb. Lib. 5. tit. 49. denique amittit privilegia honoris & immunitatis habitatione prioris matrimonii. Sed ut omni jure licet secundum matrimonium contrahatur , non sufficit opinio probabilis de morte prioris Conjugis , sed requiritur notitia moraliter certa ex Cap. Dominus 2. de secund. nupt. Quamdiu enim caret tali notitiâ moraliter certâ , exponitur secundum matrimonium pericolo nullitatis ob impedimentum ligaminis , quam notitiam moraliter certam facit testimonium Parochi aut alterius personæ publicæ ; duorum testium de visu aut de præsentia in sepultura ; Confessarii , qui Conjugi in extremis astitit , aut si cum uno teste de visu aut pluribus de auditu concurrant alia adminicula v.g. quod fuerit in navi naufragium passâ , in acie , in loco peste infecto &c. Ex quibus prudenti Judicis Ecclesiastici arbitrio hæc certitudo desumenda est.

*Q. 1. Quid si contracto bonâ fide secundo matrimonio superveniat dubium , opinio vel notitia certa de vita prioris Conjugis ?*

Q. 1. Si matrimonio bonâ fide contracto superveniat dubium, quod post diligentem inquisitionem utraque vel una Pars non potest deponere, potest non obstante dubio speculativo petere & reddere debitum: quia in dubio possessioni bonâ fide cœptæ superveniente melior eit conditio possidentis; *Dixi: in dubio superveniente: quia si cum dubio sit contractum matrimonium, eo non deposito dubitans debitum non potest petere, licet si alter fuerit in bonâ fide, teneatur eidem reddere.*

2. Si superveniat probabilis opinio v. g. quia vir fide dignus testatur, quod Coniux adhuc sit superstes, cui nihil opponi potest, quod fidem enervet, hæc opinio impedit licitam petitionem, sed non redditionem faciendam alteri in bona fide existenti ex Cap. inquisitioni 44. de sent. excom. Lib. 5. tit. 39. *Cum conscientia pulsat animum ex credulitate probabili & discreta, quamvis non evidenti & manifestâ, debitum quidem reddere potest, sed postulare non debet, ne in alterutro, vel contrâ legem Conjugii vel contrâ iudicium conscientia committat offensam.*

3. Si verò matrimonio etiam optinâ fide contrario superveniat notitia certa de vita prioris Conjugis, nec petere nec reddere debitum potest habens tales notitiam, licet illam in foro externo probare non possit: quia est intrinsecè malum cognoscere non suum vel non suam, quod ob nullius mali imminentis timorem licitum fieri potest.

*Q. 2. An secundæ nuptiæ sint benedicendæ?*

Respondet Urbanus III. in Cap. 3. de secund. Nupt. *vir vel mulier ad bigamium transiens non debet à Presbytero benedici: quia cum aliâ vice benedicti sint, eorum benedictio iterari non debet.* Attamen si sit secundum matrimonium ex parte viri contrahentis cum virgine, hic rigor de consuetudine non servatur, sed nuptiæ

nuptiæ benedicuntur. deinde in Cap. Capellanum 1. de secund. nupt. dicitur Capellanus ob benedictionem secundarum nuptiarum ab officio & beneficio suspen-sus ad Sedem Apostolicam mittendus ; attamen cen-sent interpres hanc poenam fuisse inflictam non ob solam benedictionem, sed vel quia sine licentia pro-prii Parochi alienos Parochianos benedixit, vel quia non habitâ sufficienti notitiâ de morte prioris Conju-gis ad solemnitatem hanc processit.

DICO 2. Propter nummam propinquitatem ponitur... publica honestatis justitia, in quâ est propin-quitas duarum personarum ratione tertie per sponsalia juncta S. Th. in suppl. Q. 50. A. 1. O.

*Explicatur :* impedimentum publicæ honestatis est propinquitas orta ex sponsalibus vel matrimonio rato inter sponsum ex una parte & consanguineos sponsæ ex altera parte & vice versa. Oritur hoc impedimentum ex sponsalibus sive publicis sive occultis, cum nullus sit textus restringens ad sponsalia publica, & ure Ec-clesiastico dirimit matrimonium contrahendum, prout liquet ex Cap. Juvenis 3. Cap. ad audientiam 4. Cap. sponsam 8. de sponsal. Cap. un. eod. tit. in 6. & Cap. litteras 4. de despontat. impub. Lib. 4. tit. 2. dicitur autem publicæ honestatis, quia parum honestum visum fuit Ecclesiæ, ut ii, qui matrimonium fide datâ sibi in-vicem promiserunt, & maximè qui de præsenti contra-reunt, deinceps cum alterius consanguineis matrimo-nium publicè contrahant. Oriebatur hoc impedi-mentum de jure antiquo ex sponsalibus etiam invali-dis, si non essent invalida ob defectum consensus aut conditionata, ut dicitur in cap. un. de sponsal. in 6.

Verum Concil. Trident. sess. 24. de reform. Cap. 3. ita : *Justitia publicæ honestatis impedimentum, ubi sponsalia quacunque ratione valida non erunt, sancta Synodus prorsus tollit, ubi autem valida fuerint, pri-*

*mum gradum non excedant; quibus verbis in duobus  
jus antiquum corrigitur: imprimis ut ex solis spon-  
salibus validis oriatur hoc impedimentum, deinde ut  
si essent sponsalia de futuro, non excederet primum  
gradum, cum olim protenderet se usque ad quar-  
tum gradum.*

Sed quoad matrimonium ratum nihil sancta Synodus  
immutavit, ut declaravit S. Pius V. in constitut.  
ad Romanum 62. tom. 2. Bullar. Cherub. in qua ita:  
motu proprio auctoritate Apostolicæ tenore presentium  
declaramus & definimus, decretum Concilii hujusmo-  
di omnino intelligendum esse & procedere in sponsalibus  
de futuro duntaxat non autem in matrimonio sic, ne  
preferitur, contracto, sed in eo durare adhuc impedi-  
mentum in omnibus illis casibus & gradibus, quibus  
de jure veteri ante predictum decretum Concilii intro-  
ductum erat. Et ita ab omnibus judicari debere man-  
damus, atque statuimus, unde adhuc ex matrimo-  
nio rato non consummato oritur hoc impedimentum  
publicæ honestatis usque ad quartum gradum inclusivè  
sive fuerit matrimonium validum sive invalidum, præ-  
terquam si fuisset invalidum ex defectu consensū, ut  
si matrimonium fuisset contractum cum errore perso-  
næ, cum ignorantia qualitatis servilis, ex metu gravi,  
ante plenum usum rationis.

Q. I. An hoc impedimentum remaneat dissolutis  
mutuo consensu sponsalibus?

R. Affirmativè ut videtur colligi ex Cap. accessit  
5. de desponsat. impub. Lib. 4. tit. 2. in quo rescritbit  
Alex. III. Sanè si prefata puella ante desponsationem sep-  
timum annum compleverat, licet predictus vir à des-  
ponsatione ipius puellæ ipso iure fuerit absolveus, cum  
ea in eum consentire noluerit: in honestum tamen vi-  
detur, ut matrem ejus habeat, cuius filia fuit sibi  
desponsata. Ratio est: quia si semel fuerint valida  
spon-

DE ULTIMIS IMPEDIMENTIS MATRIMONII. 591

sponsalia, jam ortum fuit impedimentum publicæ honestatis, quod remanet non minus dissolutis sponsalibus mutuo consensu ac per mortem unius ex desponsatis. Pro hac sententia refertur declaratio S. Congreg. ab Alexandro VII. approbata.

Q. 2. An ex matrimonio rato ob præcedentia sponsalia invalido oriatur impedimentum publicæ honestatis v.g. si Cajus contractis cum Berthâ sponsalibus defuturo cum sorore Berthâ de facto contrahat matrimonium?

R. Negativè arg. Cap. un. de sponsal. in 6. ibi: ille, qui sponsalia pure ac determinata cum aliquâ muliere contraxit & postmodum cum secundâ prioris consanguineâ idem fecit, ex priorum sponsaliorum vigore (quibus per publicæ honestatis justitiam ex secundis sponsalibus subsecutam minimè derogatur) ad matrimonium contrahendum cum primâ remanet obligatus. Ex solo ergò matrimonio invalido non impeditur ducere primam, nisi secundam carnaliter cognovisset, tunc enim ob supervenientem affinitatem neutram posset ducere videatur Gl. in cit. Cap. v. derogatur.

Q U A E S T I O N E IV.

De affinitate & impotentiâ.

**S**uppono: affinitas est propinquitas Personarum ex copula carnali proveniens omni carens Parentelâ itâ eam describit S. Th. hic Q. 55. A. 3. in arg. sed contraria. Dicitur: propinquitas, quia ex coniunctione viri ad mulierem consanguinei mulieris fiunt affines viro & consanguinei viri fiunt affines uxori carnaliter cognitæ, non autem consanguinei Personæ cognoscentis fiunt affines consanguineis Personæ cognitæ nec hodie affinitas parit affinitatem; Dicitur: omni cœiventis parentelâ videlicet per se & quatenus talis est:

III. Partis Theol. Schol. suppl. Pp cum

cum aliás per accidens idem possit esse consanguineus & affinis.

DICO I. *Affinitas præcedens matrimonium impedit contrahendum & dirimit contractum S. Th. suppl. Q. 55. A. 6. O.*

*Explicatur Conclusio :* affinitas solum primi generis, si ex copula matrimoniali sit orta, est impedimentum dirimens matrimonium inter affines usque ad quartum gradum inclusivè, ut constat ex Cap. non debet 8. de consang. & affin. Lib. 4. tit. 14. si ex copula fornicaria sit orta, est impedimentum dirimens matrimonium usque ad secundum gradum inclusivè, idque ex solo jure Ecclesiastico Trid. sess 24. de reform. matr. Cap. 4. præterquam in primo gradu lineæ rectæ: quia matrimonium v.g. inter vitricum & privigiam sive uxor filiam, inter sacerum & nurum sive filii uxorem videtur jure naturali repugnare, ut colligitur ex Apostolo 1. Corinth. 5. *Omnino auditur inter vos fornicatio, & talis fornicatio, qualis nec inter gentes, ita ut uxorem Patris sui quis habeat.* Et *Ratio est :* quia affines in primo gradu lineæ rectæ, licet non sint veri Parentes & Liberi, attamen cum ascendentे sint loco Parentum, descendentes ascendentibus magnam debent reverentiam, cui videtur ex ipsâ naturâ rei repugnare vinculum indissolubile matrimonii ordinatum ad actum Conjugalem. Si vero proveniat affinitas ex copula illicita, talem reverentiam non exigit: cum non inclinetur filius naturaliter ad exhibendam reverentiam mulieri, quam Pater extra matrimonium cognovit, neque tales copulæ solent parere amicitias sed potius odia; quod etiam in linea transversa affinitas non dirimat matrimonium ex jure naturali, probatur ex eo, quod in veteri testamento Jacob simul junctus sit duabus sororibus Gen. 29. & Gen. 37. Thamar ex voluntate Judæ Patriarchæ duobus

DE ULTIMIS IMPEDIMENTIS MATRIMONII. 593

bus successivè fratribus nupsit. Etiam Innoc III. in Cap. fin. de divort. cum conversis ad fidem dispensavit, ut matrimonii contuactis cum relictis fratribus utantur, de cætero tantum tales copulationes prohibens, quæ dispensatio concedi non potuisset, si matrimonium inter affines primi gradus lineæ transversæ esset irritum jure naturæ.

*Obj.* Etiam matrimonium inter affines primi gradus videtur esse invalidum solo jure positivo: quia nec repugnat primario fini, qui est generatio proliis, nec secundario fini, qui est remedium concupiscentiæ.

*R.* Negando aff. ad probationem dicendum: licet generatio proliis & remedium concupiscentiæ absolute per matrimonium inter illos affines haberi possit; quia tamen non potest haberi salvâ subjectione & reverentia, quam dictante lumine naturæ debet privignus Novercæ, privigna vitrico, natus socero & gener socii, hinc tale matrimonium est invalidum jure naturæ.

*Q. 1.* Quid si affinitas superveniat matrimonio?

*R.* Affinitas superveniens matrimonio per hoc, quod cognoscatur maritus consanguineam uxoris & uxor cognoscatur à consanguineo mariti, non quidem dissolvit matrimonium, attamen Coniux incestuosa, non potest licet petere debitum Conjugale, licet teneatur reddere Coniugi innocentia ex Cap. discretio- nem 6. Cap. tuæ fraternitatis 10. Cap. Jordanæ 11. de eo, qui cogn. &c. lib. 4. tit. 13. nisi dispensetur ab Ordinario pro fato externo, à privilegiatis Confessa- riis pro fato interno, vi Concilii Trident. hoc non extenditur ultra secundum gradum.

*Q. 2.* Qualiter obtainenda dispensatio in gradibus tuin consanguinitatis tum affinitatis dispensabilibus?

*R. 1.* Petens dispensationem in impedimento consan-

guinitatis vel affinitatis, si sint in inæquali gradu debet majorem ex parte unius propinquitatem exprimere v.g. Titius volens ducere suam materteram vel relietam patrui debet in supplicatione, ne dispensatio sit obreptitia, exprimere, quod Persona, cum qua intendit contrahere, sit consanguinea vel affinis inter primum & secundum gradum ex declaratione S. Pii V. licet enim in linea inæquali gradus consanguinitatis vel affinitatis desumatur à Personâ, quæ est remotior à stipite, attamen solet difficultius dispensari, quando ex una parte consanguinitas vel affinitas attingit gradum propinquiorem.

2. Si affinitas vel consanguinitas descendat ex duplice capite, illudque exprimi debet v.g. Titius vult ducere consanguineam & ex linea paternâ & ex linea maternâ, vel Catus, qui peccavit cum tribus torribus carnaliter, unam ex illis vult ducere, debet explicare, quod ex duplice capite sit illi Personæ affinis.

3. In Germania solent Episcopi vel legati Pontificii speciale habere indultum, ut dispensent in tertio & quarto gradu consanguinitatis & affinitatis simplici & mixto cum pauperibus (scilicet labore manuum victimum quarentibus) Catholicis, quare illo casu non est necessarium ad Curiam Romanam recurrere: alias si recursus ad Curiam Romanam sit necessarius distingendum est: an impedimentum sit publicum vel ad forum contentiosum deducetur, timeaturve, ne publicetur; vel an sit occultum, in primo casu petenda est dispensatio in dataria non absque sumptibus. In secundo casu obtinetur dispensatio sine sumptibus in pœnitentiaria, sed hæc non prodest nisi pro foro interno, unde si impedimentum publicetur, non obstante tali dispensatione potest Ordinarius Conjuges separare, donec novam in datariâ dispensationem obtinuerint.

L. 3.

DE ULTIMIS IMPEDIMENTIS MATRIMONII. 595

Q. 3. Quæ sit regula agnoscendi gradus affinitatis & quo usque duret?

R. 1. Pro agnoscenda affinitate hæc unica datur regula generaliter: solus vir carnaliter cognoscens fœminam sit affinis omnibus consanguineis fœminæ carnaliter cognitæ in eodem gradu, quo sunt ejus consanguinei; & econtrà sola fœmina carnaliter cognita sit affinis omnibus consanguineis viri in eodem gradu, in quo sunt consanguinei viri.

2. Impedimentum hoc semel ortum est perpetuum mortuâ licet personâ, ratione cuius ortum est; si igitur queratur an & qualis sit affinitas inter duos, interrogandum est: An unus illorum fuerit in matrimonio vel extrâ matrimonium carnaliter peccaverit, si neutrum, nequeunt esse affines, si alterutrum, ulterius inquirendum: an & in quo gradu persona carnaliter cognita sit alteri consanguinea, & habetur affinitas in eodem gradu cum altero.

DICO 2. *Impotentia coeundi... vel est temporalis, cui potest subveniri remedio medicina vel processu atatis. Et tunc non solvit matrimonium: vel est perpetua, et tunc solvit matrimonium.* S. Th. in suppl. Q. 58. A. I. O.

*Ratio est:* quia contractus matrimonialis essentialiter includit obligationem dandi alteri corpus suum ad usum in Ordine ad actum conjugalem; atqui inhabilis ad solvendam hanc obligationem est etiam inhabilis ad contraheendum; ergo perpetua impotentia ad actum matrimoniale irritat matrimonium non tantum jure Ecclesiastico, sed etiam jure divino & naturali: est enim de Jure naturæ, quod non possit trahi potestas in corpus ad actum impossibilem. Debet tamen esse imprimis potentia perpetua, quæ scilicet neque successu temporis nec modo naturali & licito, nec sine corporis gravi periculo tolli valeat.

Deinde debet esse antecedens Matrimonium contratum : obligatio enim ab initio legitimè contracta non dissolvitur, quamvis veniat ad eum casum à quo incipere non petuisset, sive nec affinitas, nec aliud impedimentum Matrimonio ex post supervenientis illud annullare potest.

Est autem hæc impotentia perpetua duplex alia est aboluta, quâ quis ineptus est ad actum conjugalem cum quâcunque exercendum & talis irritat matrimonium respectu omnium, alia est respectiva, per quam aliquis respectu hujus personæ, cum quâ contractum vel contrahendum est matrimonium, ad actum conjugalem est impotens, quæ si sit perpetua impedit matrimonium cum determinatâ tantum personâ. Porro si constet de perpetuitate impedimenti, statim separandi sunt putatitii conjuges, nisi sine periculo animæ possint & velint cohabitare ut Frater & Soror. Si verò dubium sit, an impedimentum sit temporale vel perpetuum, conceditur conjugibus triennium, quo cohabitent, & bonâ fide operam dent matrimonio consummando, quoelapsò, si matrimonium consummatum non fuerit, Ecclesia judicat, impotentiam esse perpetuam, conceditque alteri conjugi facultatem novum cum alterâ matrimonium contrahendi, si posteà appareat Ecclesiam errâsse & virum v. g. vel eandem vel alteram mulierem cognovisse, matrimonium redintegratur ita cap. laudabilem 5, de frig. & malef. lib. 4. tit. 15. ex hoc capite impotentia processit merito declaratio Sixti V. matrimonia Eunachorum esse irrita, facta Episcopo novariensi tunc hispaniarum legato, his verbis : *Eidem fraternitati tuae per præsentes committimus & mandamus ut conjugia per diulos & alios quâcunque Eunuchos & spadones utroque teste carentes cum quibusvis mulieribus defectum predictum sint ignorantibus sive etiam scientibus contrahi prohibeas.*

cosque ad matrimonia quomodo cunque contrahenda inhabiles auctoritate nostrâ declares & tam locorum ornariis, ne hujusmodi coniunctiones de cetero fieri quo modo permittant, interdicas, quam eos etiam, qui sic de facto matrimonium contraxerunt, separari cures, & matrimonia sic de facto contracta nulla, irrita & invalida esse decernas.

Q. Quomodo & qualiter ob impedimenta matrimonium vel prohibendum vel nullum sit declarandum?

R. I. Quando agitur de matrimonio contrahendo sufficiunt semiplenæ probationes v. g. unus testis, fama publica, aliqua indicia fundantia prudentem præsumptionem, quando verò agitur de matrimonio præsumptivè valido dissolvendo, requiruntur probationes plenæ v. g. per duos testes omni exceptione maiores: alias semper standum est pro valore matrimonii; possunt autem hæ probationes recipi & sententia nullitatis ferri etiam alterâ parte contumaciter absente & lite nondum contestatâ, ne alteri conjugi detur occasio peccandi & contumaciter absens ex suâ contumaciâ reportet commodum.

2. Quando agitur de solo præjudicio conjugum si v. g. matrimonium sit nullum ob impotentiam antecedentem perpetuam, vel ob metum aut errorem, quem cognoverunt intervenisse, soli conjuges volentes opponere tale impedimentum audiendi sunt, quippe tali impedimento vel renuntiare vel remedium adhibere possunt liberum consensum scienter renovando. In aliis verò impedimentis, quibus conjuges renuntiare non possunt, alii testes adhibendi sunt & quidem in impedimentis consanguinitatis, affinitatis vel publicæ honestatis parentes & alii cognati admittuntur ante extraneos: quia in illis præsumuntur meliorem habet informationem. Quoad reliqua impedimenta om-

nes promiscuè in testes adhiberi possunt, modo non præsumantur accusare spe turpis quæstûs: cum non sit malitiis hominum indulgendum cap. significante 5. de his qui matr. accus. poss. &c. lib. 4. tit. 18. unde tam denuntiator impedimenti quam testis jurare debet, quod non pretio conductus, nec odio vel amore datus impedimentum denuntiet, sed purè idèò quia credit revera tale impedimentum subesse. Videatur Can. 5. & 8. Caus. XXXV. Q. 6.

## DISPUTATIO LI.

*De statu & apparitionibus post mortem.*

**A** Liam post hanc supereesse vitam, nec hominum conditionem per mortem totaliter desinere, nisi tantum ad tempus, quantum ad Corpus attinet, fides Catholica docet, proinde novam & immutabilem vivendi rationem inchoat anima à corpore separata; quia verò ordinatam cum viventibus communicationem animæ defunctorum non continuant, interim plures vivis in assumptionis vel propriis vel alienis sive ope Dæmonum sive ope Angelorum efformatis corporibus apparuisse leguntur, hinc de statu & apparitionibus animalium in hac disputatione agitur, ut sciatur quid de hisce apparitionibus sentiendum sit: omnes enim apparitiones falsas vel imaginarias esse nimis temerarium foret asserere, econtrà qualsunque apparitiones veras esse qui judicaret, levitatis argui posset. Igitur cum ipsa sacra scriptura testetur in monte Thabor Eliam & Moysen cum Christo Apostolis apparuisse; multaque Sanctorum post mortem vivis apparentium exempla à fide dignissimis scriptoribus referantur, imò & animas damnatorum & purgatorio igne detentas inter homines visas in corporibus probati asseverent scriptores, eas apparitiones non temerè negare sed expendere oportet.

QUÆ-